

1312 23/5

Riga

Convent of Tartu (prov. of Saxonia)

*Fr. Daniel, prior of the Friars Preachers in Tartu, testifies before the papal inquisitor Franciscus de Moliano on misdeeds performed by the Teutonic Order in Livonia for years, among these how the recently converted tribe of Semigallians has relapsed to paganism due to ill treatment enacted upon them by the Teutonic administrators (Article 17).*

Source: Court records of Franciscus de Moliano against the Teutonic Order. Geheimes Staatsarchiv Preußischer Kulturbesitz, Berlin.

Die ·xxiii· eiusdem mensis maii. ·xiii· testis. Religiosus vir frater Daniel prior ordinis predicatorum in Tarbato testis juratus et examinatus super primo articulo, qui sic incipit. Inprimis quod preceptores, dixit se nescire ea, que in huiusmodi articulo continentur.

Item super ·ii· articulo, qui sic incipit. Item quod predicti, dixit se nescire aliquid de hiis, que in huiusmodi articulo continentur.

Item super ·iii· articulo, qui sic incipit. Item quod ad id, dixit, quod nesciebat, si id, quod in articulo continetur, erat ita generaliter verum, ut ibi ponitur, non tamen negabat, quin dicti fratres aliqua bona ecclesiarum de provincia Lyvonie occupaverint.

Item super ·iiii· articulo, qui sic incipit. Item quod prefati, dixit, quod fratres predicti ceperunt violenter dominum Albertum olim Rigensem archiepiscopum in civitate Rigensi et deduxerunt eum captivum in Seegold et ibidem tenuerunt eum captivum, et dixit, quod non fuit presens, sed audivit a multis et manifestum fuit in provincia Lyvonie, quod supra dixerat, dixit insuper dictus testis, quod audivit dici a pluribus, quod dicti fratres ceperunt violenter dominum Johannem de Wechte tunc prepositum Rigensem et tenuerunt eum in turri captivum, dixit etiam dictus testis, quod fratres predicti fuerunt cum eorum exercitu ante castrum Torreyde, in quo erat archiepiscopus obsessus per fratres, et cum ipse dominus archiepiscopus Rigensis nomine dominus Johannes de Suerim videret, quod non posset se defendere, tradidit eis castrum Torreyde, qui fratres hospitalis predicti tunc dictum castrum Torreyde intrantes occupaverunt castrum et ceperunt et duxerunt dictum archiepiscopum in Seegold et de Seegold in Wenda et de Wende in Velim et ibi tenuerunt eum, et dixit, quod audivit dici, quod dicti fratres ceperunt et in carcere diu tenuerunt quendam sacerdotem canonicum Rigensem. Interrogatus quantum temporis esset, quod dictus dominus Albertus olim archiepiscopus Rigensis fuisset captus, respondit, quod essent quadraginta anni vel plus. Interrogatus, quomodo sciret ea, que supra dixerat de exercitu fratrum supra castrum Toreyde et captione domini Johannis de Suerin archiepiscopi supradicti, respondit, quia ipse testis et guardianus fratrum minorum de Riga iverant ad magistrum et fratres, qui erant in dicto exercitu ante castrum Torreyde, ut dictus magister et fratres cessarent ab hiis, que contra ipsum dominum archiepiscopum facere attemptabant, et cum pervenisset ipse testis illuc eum guardiano predicto, fratres hospitalis predicti jam incederant preurbia dicti castri et eis existentibus iuxta

magistrum, scilicet ipso teste et guardiano predicto, vidit, quod fratres et eorum exercitus intraverunt castrum Torreyde supradictum, et audivit, quando dictum fuit magistro per quendam transmissum de castro predicto: dominus Johannes archiepiscopus vult facere voluntatem vestram, de aliis vero, que dixerat de captione et de ductione ac aliis factis per fratres de dicto domino Johanne de Suerin archiepiscopo, dixit, quod sciebat, quia communiter et vulgariter quasi ab omnibus dicebatur. Interrogatus, quantum temporis esset, quod hec fuerint, respondit, quod essent ·xiii· anni vel circa. Interrogatus, quis fuerit ille magister fratrum hospitalis predicti, de quo supra dixit, respondit, quod fuerit magister Bruno tunc magister fratrum predictorum in Lyvonia.

Item super ·v·, super ·vi·, super ·vii·, super ·viii·, super ·viiii·, super ·x·, super ·xi· et super ·xii· articulo dixit se nescire ea, que in huiusmodi articulis continentur.

Item super ·xiii· articulo, qui sic incipit. Item quod castrum, dixit, quod nuper audivit dici ea, que in huiusmodi articulo continentur, aliter nescit.

Item super ·xiiii·, super ·xv· articulis dixit se nescire ea, que in ipsis articulis continebantur.

Item super ·xvi· articulo, qui sic incipit. Item quod cum rex, dixit, quod audivit dici, quod rex Lethovie quondam Mindo nomine fuit conversus ad fidem catholicam et quod fratres hospitalis predicti quedam dampna fecerunt cuidam ipsius regis nepoti et, quia noluerunt satisfacere pro dampnis huiusmodi ipsi regi seu nepoti eius, ipse rex apostavit a fide, de aliis vero, que in huiusmodi articulo continentur, dixit se nescire.

Item super ·xvii· articulo, qui sic incipit. Item quod iidem, dixit, quod olim populus terre Semmigalie fuit christianus et habuerunt sacerdotes, sed postmodum apostataverunt a fide et multa mala intulerunt christianis fidelibus et christiani eis, ita quod fuerant deleti, et dixit etiam idem testis, quod fratres invitaverunt aliquos nobiles de terra Semmigalie ad convivium, quos postmodum in ipso convivio occiderunt, prout in articulo dicitur, et hoc dixit, quod fuit, postquam dicti Semigalli apostataverunt a fide. Interrogatus, quomodo sciret predicta, respondit, quia sic communiter dicebatur. Interrogatus, qui fuerint illi christiani, qui dictis Semmigallis mala intulerunt, respondit, quod fuerunt fratres predicti et alii.

Item super ·xviii·, super ·xviiii·, super ·xx·, super ·xxi·, super ·xxii· articulis dixit se nescire ea, que in huiusmodi articulis continentur.

Item super ·xxiii· articulo, qui sic incipit. Item quod ad dictam, dixit, quod dicti fratres quoddam castrum nomine Icheschul a quodam milite, qui illud castrum tenebat in feudum ab ecclesia Rigensi pro quadam summa pecunie receperunt et tenuerunt, sed modo dimiserunt et restituerunt illud filio dicti militis, dixit insuper, quod castrum et monasterium Dunumundense dicti fratres occupaverunt et detinent occupatum, quod et dicunt se emisse. Interrogatus, quomodo sciret predicta, respondit, quod commune verbum erat et communiter dicebatur.

Item super ·xxv· articulo, qui sic incipit. Item quod dicti, dixit, quod audivit dici a pluribus, quod fratres in civitate in articulo nominata quam plurimos occiderunt, quot autem vel quales fuerint occisi, dixit se nescire.

Item super ·xxvi· articulo, qui sic incipit. Inprimis quod postquam, dixit vera esse, que in huiusmodi articulo continentur. Interrogatus, quomodo sciret, respondit, quia sepius audivit dici a multis.

Item super ·xxvii·, super ·xxviii· et super ·xxix· articulis dixit se nescire contenta in ipsis articulis.

Item super ·xxx· articulo, qui sic incipit. Item quod atempore, dixit vera esse, que in huiusmodi articulo continentur. Interrogatus, quomodo sciret, respondit, quia nusquam vidit eam ampliari temporibus nostris.

- - -

Comments: The pages containing Prior Daniel's answers to articles 31-230 are not extant.

Published: *Zeugenverhör des Franciscus de Moliano* no. 13 (pp. 62-64).

[ExDOP mainpage](#)

[Centre for Dominican Studies of Dacia](#)